

ex iſtis Canonibus Gregorii collectus videtur. Porro primus *graduum* ibidem occurrentium dicitur *Fletus*, ſecundus *Auditio*, tertius *Subſtratio*, & quartus *Conſiſtentia*.

XVIII. Primus gradus in citato Canone deſcribitur his verbis: "Fletus ſeu luctus eſt extra portam Oratorii: ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ingrediens orare ut pro ſe precetur."

XIX. Ex hac deſcriptione planum eſt, Fletum ſtationem fuiſſe extra Eccleſiam; quod & non obſcure docet S. Baſilius *Can. 56.* dicens: *Debet quatuor annis DEFLERE ſtans EXTRA foras oratorii.* Et *Can. 75.* *Triennio DEFLAT ſtans ad fores domus oratorii.*

Idiſum pluribus confirmat Morinus *lib. 6. cap. 2.* aſſeritque *num. 1.* in omnibus antiquis Eccleſiis Baſilicalibus aream quamdam fuiſſe & ſpatium ante templum & ejus veſtibus, in qua collocata erat ſtatio *ſtantis*; nec ultra progredi fas illis erat.

XX. Quid in hac ſtatione agerent poenitentes indicat citatus Canon S. Gregorii Thaumaturgi in verbis: *ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ORARE ut pro ſe precetur.* Et S. Baſilius citatis verbis Canonis 56. ſubnectens: *Et Fideles ingrediens rogans ut pro eo precetur ſuam iniquitatem pronuntians.*

Hæc evincunt, in hoc gradu Poenitentes duo præcipue egiſſe: nimirum peccata ſua publice ac palam confiteri, ſeu iniquitatem ſuam pronuntiare; atque Fidelibus Eccleſias ingrediens ad geniculari, ut pro iſtis apud Deum, Episcopum ac Clerum intercederent, quatenus ad Poenitentiam recipi poſſent.

XXI. Neque enim ſtantes in hoc gradu adhuc proprie erant poenitentes; ſed dumtaxat orabant & gemebant, ut poſſent ad poenitentiam admitti: quare hic gradus potius quoddam præambulum erat ad Poenitentiam, quam verus Poenitentia gradus. Unde nihil ad hos pertinebat Miſſa catechumenorum: nulla ſuper eos orationes recitabantur; imò ne ad prædicationem quidam admittebantur; utpote à templi veſtibus excluſi.

XXII. Hac de cauſa nonnulli auctores & Canones etiam Veteres hunc gradum non annumerant gradibus Poenitentia: quin & monet Morinus, hanc ſtationem eatenus fuiſſe Græcis propriam, & in Eccleſia Latina ſeptem ut minus ſeculis incognitam, in quantum ſumitur pro certa ſtatione, cui ex Eccleſiæ mandato Poenitentes certo tempore adſtrangebantur. Ac inſuper monet ipſe Morinus *lib. 4. cap. 16. num. 5.* quod ante Novatum *Fletus* non eſſet ſtatio Poenitentia, in qua certo tempore manere juberentur; licet nonnulli extra fores Eccleſiæ etiam tunc Fidelium preces poſtularent, ut ad Poenitentiam recipi mererentur; ſed *voluntariè*, ac ſine determinatione temporis id faciebant.

XXIII. Secundus gradus dicitur *Auditio*, qui in citato Canone S. Gregorii Thaumaturgi his verbis deſcribitur: "Auditio eſt intra portam in Narthece, ubi oportet eum qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſetur."

XXIV. Locus hujus Stationis erat porta Eccleſiæ ſeu porticus magnis Eccleſiæ portis connexa. Notandum autem monet Morinus *lib. 6. c. 3. n. 2.* "antiquarum Eccleſiarum portis ædificium quoddam conjunctum ſemper fuiſſe, quod veſtibus *προπάλαιον πρόθυρον & πρόναον* merito dici poteſt; quale viſitur in omnibus antiquis Romanis Eccleſiis quod ingentibus columnis marmoreis innititur, quæ Conſtantinianum opus maniſeſtè arguunt, & nonnulla opera unius aut vix alterius poſt Conſtantinum ſæculi. Huic ædificio ſimilia videre eſt in ſingulis ferè Gallia ruſtorum Eccleſiis: Sed ea nunc prophanis inſerviunt uſibus, quos in Eccleſiis religione ducti exercere non audent.

Quæ de Eccleſiis Gallia aſſerit, idem de Belgicis quoque dicendum. In his enim ſimile ædificium paſſim habetur;

atque in illis mulieres poſt partum venientes ad Eccleſiam purificatioms cauſa tantisper ſubiſtunt, quoſque Parochus eas in Eccleſiam introducitur.

XXV. Exercitia verò Poenitentium in hac Statione erant, diligenter audire lectionem Scripturæ ſacræ, ejuſque interpretationem ſive ſermonem: quod ſignificat citatus Canon Thaumaturgicus, verbis ſupra allegatis ſubdens: *Audiens Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſetur.* Hæc deſumpta apparent ex *Can. 75.* Baſili qui ait: *Scripturam ac doctrinam Audiens ejiciatur, & oratione indignus habeatur.*

E his duo elicit Morinus *lib. 6. cap. 3. num. 5.* uti & Cardinalis Bona *lib. 1. Rerum Luſurg. cap. 17.* Primum, exercitia horum poenitentium propria, & publice iſtis impoſita fuiſſe diligenter auſcultare Scripturam ſacram ejuſque expoſitionem.

XXVI. Alterum, nullas manuum impoſitiones, una excepta quæ fiebat in ipſa ad hanc Stationem admiffione nullaque orationes expiatorias aut alterius generis ſuper eos ſpecialiter fuſas fuiſſe: uti nec opera pœnalia ac laborioſa iſtis impoſita, quæ erant tæ: iæ ſtationis ſpecialia exercitia; ut infra dicitur. Si quæ verò à poenitentibus in hac Statione ſuſcipiebantur, ea voluntariè ex Spiritus fervore obibant ſed in hac, uti & *Fletum* ſtatione *imperata non lege*, ait Morinus *lib. 6. cap. 5. num. 4.*

"Auditio enim (pergit Morinus) in ſecundum poenitentia gradum conſtituta eſt veluti opprobrii cauſa, ut ad eum relegati poenitentes fidei rudimenta iterum edocerentur, non ſecus ac inſimæ claſſis Catechumeni. Ea enim non dicitur cenſebantur, qui regenerationis lavacro abluti gratiſſimis ſcelerebus iterum ſe polluerant; necdum digni cenſebantur, quibus opera laborioſa ad promerendam Dei gratiam & redimenda peccata imperarentur. Fundamenta Dei quæ tam male & negligenter dedecerant in eorum animis iterum facere necellarium judicabatur."

XXVII. Verum quidem eſt, quod ad audiendam lectionem Scripturæ ſacræ ejuſque expoſitionem præter Poenitentes in hac Statione admiffi fuerint etiam Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Catechumenis aliisque hujusmodi generis homines juxta Canonem Carthaginenſem: "Episcopus nullam prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire Verbum Dei ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum: ſed in nullis niſi Poenitentibus, qui Audiens dicebantur, auditio hæc Scripturarum rationem *Stationis poenitentia* habebat: nam aliis, ut ibi ſtarent in pœnam aut Poenitentiam injunctum non erat."

Hi enim voluntariè ac ſine ullo Eccleſiæ mandato ibidem conſiſtebant, & Verbum Dei audire permittebantur. Poenitentes verò ex mandato Episcopii ibi manebant, certo temporis ſpatio iis conſtituto; tenebanturque huic Stationi ad eſſe quoſque fiebat Synaxis, & ibidem ſubiſtere donec voce Diaconi ejicerentur: uti latius proſequitur Morinus *lib. 6. c. 4. n. 5.*

XXVIII. Porro, cum per admiffionem ad hanc Stationem; uti & ad Stationem *Fletus* reciperentur graviorum criminum rei in numerum Poenitentium; atque *Fletus & Auditio* in poenitentiam imponerentur; etiam in ipſa Stationum aſſignatione eis manus adjuncta oratione imponebantur: & inſuper in graviffimis delictis, propter quæ peccator ab Eccleſia pulſus & exciſus fuerat, per hanc Poenitentia impoſitionem *excommunicationis* vincula ſolvebatur; & qui ad Eccleſiam non pertinebat, quique cum ea nullo Religioſo commercio devinciebatur, per eam Poenitentia impoſitionem incipiebat ad Eccleſiam pertinere, eique curæ eſſe, juſque ad communionem, etiam perfectiſſimam recipere, quæ ab eo tempore, ſi periculo mortis urgebatur, illi denegari non debebat. Ità Morinus *lib. 6. cap. 5. num. 2.* Atque hinc apparet, non fuiſſe gravium criminum reis inſtruetuoſam ad hæc Stationes admiffionem; tamen ipſa Stationum exercitia etiam non Poenitentes obire poſſent.

XXIX. Tertius gradus ſeu ſtatio vocabatur *Subſtratio* vel *Subjeſtio*, de qua hæc leguntur in citato Canone Thaumaturgico: *Subjeſtio autem, ſeu Subſtratio eſt, ut intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur.*

Thaumaturgico: *Subjeſtio autem, ſeu Subſtratio eſt, ut intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur.*

Dicebatur autem Subſtratio ſive Subjeſtio, eo quod tempore hujus Stationis eſſent quali continuo ſub manu Episcoporum & Sacerdotum tamquam rei & humilitati, proſtrati, ſive ſubjeſti.

XXX. Toto quippe tempore hujus Stationis fiebant crebra manuum impoſitiones ſuper Poenitentes; juxta illud Felicis Papæ III. *epiſt. 7.* "Tribus annis inter Audiens ſint; ſeptem autem annis *ſubjiciant* inter Poenitentes manus; Sacerdotum. Et illud Concilii Carthag. IV. *Can. 80.* "Omni tempore jejunii manus Poenitentibus à Sacerdotibus impoſantur."

Plura teſtimonia hujus diſciplinæ refert Morinus *lib. 6. cap. 8. qui cap. 9.* multis probat, huic manuum impoſitioni ſemper conjunctam fuiſſe orationem: ideoque quemadmodum crebra erat ſuper Poenitentes durante hac Statione manuum impoſitio, ſic quoque frequens ſuper iis fundebatur oratio; ut ſcilicet per eas ad veram cordis contritionem & poenitentiam excitarentur & promoverentur.

XXXI. Hæc autem manuum impoſitio & oratio ſuper Poenitentes fiebat poſt lectionem Scripturarum, & ſermonem habitum ad populum. His enim abſolutis voce Diaconi ejiciebantur *Audiens* aliique qui huic intereſſe poterant; quibus ejuſdem, ſub manuum Episcopii ſuccedebant hujus Stationis Poenitentes; atque oratio ipſius propria recitabatur: hiſque peractis etiam ipſi jubente Diacono dimittebantur; eaque dimiſſione facta Fidelium Miſſa inchoabatur.

XXXII. Nec tantum impoſitio manuum atque frequens oratio ſuper poenitentem ad curanda expiandaque in hac Statione fiebant; ſed longe acriora & auſteriora pro uniuſcujuſque vulneris ratione, & poenitentis conditione medicamenta applicabuntur. Imponebantur enim in hac Statione poenitentibus varia opera laborioſa & corpus ac corporis pravos affectus exterminantia privatim exercenda. Quanti verò eſſent hi poenitentia labores, & quam dura opera poenitentia oſtendit Morinus *lib. 6. cap. 11.* notatque Anequos Patres *interitum carnis* apud Apoſtolum ubi dicit ſe in celſum Corinthium tradidit *Sathane in interitum Carnis*, intellexiſſe, de *interitum* per poenitentia labores.

XXXIII. Quia in hac ſtatione præcipue peccatores per crebras manuum impoſitiones, orationes, & propria opera Poenitentia purgabuntur, hinc hæc ſtatio proprie erat *Poenitentia*; atque ideo (ait Morinus) in Eccleſia nunquam non viguit; cum alia Stationes tantum diſciplinæ cauſa fuerint adjectæ: Ubi verò erat rarus Stationum *Fletus, & Auditio*, ut in Occidente, & ubique ante Novatiani hæreſim tota Poenitentia in hac Statione peragebatur, teſte Morino *lib. 6. cap. 8.* ac propterea ſoli in hac Statione conſiſtentes dicebantur proprie *Poenitentes*.

XXXIV. Quarta ſtatio dicta fuit *Conſiſtentia*, de qua in Canone Thaumaturgico: "Congregatio ſive Conſiſtentia eſt, ut cum Fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur: poſtremo eſt participatio Sacramento- rum."

Id ipſum clarius expreſſit S. Baſilius *Can. 75.* "Poſtquam poenitentia fructus dignos oſtenderit, decimo anno in Fidelium orationes ſuſcipiatur, ſine oblatione; & cum duobus annis unà cum Fidelibus ad orationem *ſubſiſtetur*, ſic deinceps dignus habeatur boni communionem."

Et Felix III. in citata Epitola 7. de Conſiſtentibus ait: "Duobus annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantum ſecularibus in oratione ſocientur."

XXXV. Hac deſcriptione docemur, Conſiſtentes jus habuiſſe, unà cum Fidelibus orationi aſſiſtendi, id eſt, Sacrificio & omnibus quæ ad Sacrificium pertinent ritibus, uſque ad ſinem; neque cum Poenitentibus ſive Subſtratis potuiſſe dimitti: atque ab hac cum Fidelium aſſiſtentia *Conſiſtentes* ſive ſimul *ſiſtentes* dicti ſuere.

XXXVI. Alterum ex illa deſcriptione habetur, quod

Conſiſtentes cum Fidelibus quidem ſacrificio aſſiſterent, ſed *abſque oblatione*; id eſt, quod ipſorum munera ſeu oblationes ad altare non reciperentur. Moris olim fuit, ut Fideles omnes, niſi extrema paupertate premerentur, ad Miſſarum ſolemnia ſua munera in altari offerrent; eaque oblatione quodammodo Sacrificio communicarent; uti titulo præcedenti oſtendimus.

"Pœna igitur qua mulcebantur Conſiſtentes hæc erat (inquit Morinus *lib. 6. cap. 17. num. 6.*) quod munera eorum ut Fidelium non acciperentur; unde conſequens erat, eos Corpori Chriſti non communicare. Quibus enim non licebat offerre, unde Corpus & Sanguis Chriſti conſecrarentur, iis non judicabant licere ipſum Corpus & Sanguinem manducare & bibere. Quapropter iſta ſunt æquipollentia, communicare precibus ſine oblatione, & non communicare Corpori Chriſti."

XXXVII. Quæ pluribus ibidem adſtruit Morinus; qui *capite 18.* oſtendit, plura horum genera hanc Stationem complexam fuiſſe: illos tamen præcipue ad hanc Stationem ſpectaſſe, qui tamquam Poenitentes, inferiores Stationes abſolverant; atque tandem ad hanc aſcenderant: "Imò propter illos (ait) in *poenitentiam* Stationem inſtituta fuit hæc antiqua Cœnura, ut poſt toleratas graves moleſtias poenitentia, aliquanto tempore experirentur Patres, an iis liberati vitam ducerent Fidei dignam, atque poſſent illis tutò credere Chriſti Corpus & Sanguinem."

XXXVIII. Quanto tempore in una Statione ſive Gradu eſſet ſubiſtendum, ex gravitate criminis Canones plerumque determinabant. Ordinarie tempus *Subſtrationis* prolixius erat, quam aliarum Stationum; eo quod in hac præcipue ipſi Poenitentes purgarentur; ipſaque eſſet propria *ſtatio poenitentia*.

XXXIX. Notandum autem tempora atque exercitia iſtarum ſtationum Canonibus ita fuiſſe præfixa, ut tamen in Episcopii eſſet poteſtate, attendita vita, converſatione Poenitentium, eorumque in peragenda poenitentia fervore, ea contrahere aut mutare, atque humanius agere.

Hanc Episcopii auctoritatem his verbis expreſſit Canon 5. Ancyranus: "Statuimus autem ut Episcopii modo converſationis examinato poteſtatem habeant, vel utendi *clementia*, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem, & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, examinetur, & ſic eis *clementia* impertiatur."

Eandem auctoritatem Canon 12. Nicæniſtem Canon ultimus Trullanus aliique plures, quos citat Morinus *lib. 1. cap. 15.* attribuant.

XL. Ex his Canonibus quoque evincitur, in poteſtate Episcopii fuiſſe, Poenitentem ex inferiori Statione, prætermiſſa mediâ ad ſuperiorem transferre? cum videret poenitentem in ea Statione in converſationem, & ita ſerventer poenitentiam peregiſſe, ut de ejus converſatione dubitare nequireret. Ità ab *Auditio* ad *Conſiſtentiam* tranſire permittit Canon 12. Nicæniſtem, "quicumque & metu & lacrymis, & tolerantia & bonis operibus, converſionem & opere & habitu oſtendunt. Hæc latius proſequitur Morinus *lib. 9. cap. 19.* & breviter expreſſit Auctor *Canonis 86. De Poenitentia. Diſt. 1.* apud Gratianum, "Ipla tempora poenitentia pro fide & pro converſatione Poenitentium abbrevianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda."

XLI. Hujus indulgentia primus ac originarium fundamentum nos docet paucis verbis S. Gregorius Nyſſenus in Epitola ad Letoium de hujus indulgentia cauſis diſtiſſimè diſſerens: "Quemadmodum enim (inquit) porcis margaritas projicere eſt vitium; ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem à vitio & purgationem homo factus eſt, abſurdum eſt."

Monet hic Gregorius Letoium, poenitentiam Canonice ita moderandam eſſe per Episcopos, ut ſi videant quoddam peccatores, "diligentiori converſatione uſi fuerint, & vita ad id quod bonum eſt, reditum oſtenderint, liceat ipſis pro Eccleſiaſticæ œconomia utilitate, tempus contrahe-

te & celerius ad conversionem deducere; " ut in eadem Epistola loquitur *cap. 4.*

Pœnitentialis enim Oeconomia licet etiam alios fines haberet, unus tamen è præcipuis erat ut per eam peccator à vicis suis expurgaretur, & Sacerdotibus de vera ejus conversione constaret. " Ut quid temporis mora? (peit Morinus *lib. 1. cap. 16. num. 6.*) Tot Pœnitentiæ Stationes, tam longa duratio, tot corporis afflictiones? Ut experirentur an, vera esset animi conversio, & eò vehementer peruenisset, quæ desiderabatur. Si brevi tempore ista Conventio erat Episcopo comperta, quod ex animi zelo & ardore inconstanter subeundis in unaquaque pœnitentiæ statione præscriptis laboribus innotesceret, breviori quoque tempore reconciliabatur Pœnitens.

Quod ibi multis adductis Patrum ac Canonum testimoniis confirmat. " Non negabant peccatoris compunctionem tam ardentem & inflammatam esse posse (ait Morinus *ibid. cap. 17. num. 4.*) ut uno momento perfectam à Deo peccatorum remissionem obtineret, omnesque inferorum pœnas extingueret; sed hoc & rarum esse, & sibi quando contingeret, incognitum esse profitebantur. Ideò ut Pœnitentium conversionem explorarent, atque illius inflammationem Pœnitentes à Deo promerentur, opera varia injungebant, quibus diligenter peractis eos purgatos esse & sanatos, Deo œconomiam Ecclesiasticam approbante, non dubitabant; atque ut verè tales à Deo habitos reconciliabant, & communionem donabant.

XLII. Hinc Episcopi pœnitentium conversationem, mores, vitæque institutum, tum per se, tum per alios diligenter toto pœnitentiæ curriculo explorabant, ut ex iis de interiore animi conversione iudicium formarent.

Solicite propterea monebant Presbyteros ac Diaconos, quos pœnitentibus dirigendis ac invigilandis præfiebant ne de pœnitentis in peragenda pœnitentiâ diligentia muneris aut gratia inducti testimonium falsum ferrent. Seculo IX. Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Capitulis datis Presbyteris *art. 13.* " Nemo Presbyterorum à quocumque pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat, aut minus dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocumque livore alium quamlibet dignius pœnitentem à reconciliatione removeat quia hoc Simoniacum & Deo & hominibus abominabile est.

Quin & in visitationis Episcopalis formula hic interrogationis faciendæ est *articulus 38.* " Si aliquem minus dignè pœnitentem favoris aut familiaritatis aut consanguinitatis gratia ad reconciliationem adducat, aut ei testimonium reconciliationis ferat.

Id ipsum vetatur in *Cap. 14.* & *De sim.* sub nomine Alexandri III. pronuntiat, quæ *Simoniacum* esse.

XLIII. Si Episcopus inspectis pœnitentis conversione & modo peragenda pœnitentiæ nihil deprehendisset, quod ipsum ad indulgentiam inclinaret, pœnitentiam tempora pœnitentiæ in unaquaque Statione absolvere debebat; atque tempore unius Stationis absoluto ad superiorem Stationem quasi sito jure ascendebat; nec poterat denegari, nisi novi criminis reus fuisset peractus: ut fieri etiam nunc videmus in Clericorum ab officio vel ordinibus suspensione, ubi elapso tempore limitato cessat ipso jure suspensio; nec ulla opus est ad peragenda cessationem accedat solemnitas. Ita Morinus *lib. 6. cap. 5. num. 6.*

XLIV. Canonum Pœnitentiarum usum & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverasse usque ad initium seculi duodecimi observat Morinus; at " hoc seculo ineunte, pœnitentiæ exterioris severitas decreverit, minui & obsolescere cepit, & consequenter cum ea severitatis administratio, scilicet antiqui illi ritus publici, tam qui pœnitentiæ actionem, quam qui pœnitentium reconciliationem spectabant. " Ita Morinus *lib. 10. cap. 16. num. 1.* monetque *num. 2.* Numquam juris rigor auctoritate Ecclesiastica remissus est; sed in privatis causis & iustis rigoris species in a-

liam frequenter commutata, plurimis occasionem dedit Pontificum beneficio ad præposteram relaxationem abutendi.

XLV. Occasiones plures hujus relaxationis Canonum Pœnitentiarum assignat Morinus; quarum præcipue fuerit; commutatio pœnitentiarum Canoniarum cum opere aliquo laborioso propter evidentem aut apparentem Ecclesiæ utilitatem, qualis erat susceptio armorum contra Infideles aut Hæreticos.

Ex hac verò altera orta est, nimirum remissio alicujus partis Pœnitentiarum Canoniarum ob collatum denarium in reparationem aut ædificationem alicujus Ecclesiæ, aliudve opus pium; quin ad refectionem pontium, iuniorum aliæve res sæculares hæc remissio, extensa fuit. Quomodo autem hæc ex priori orta sit, & qua ratione ex utraque præcipue tamen ex posteriore Canonum Pœnitentiarum relaxatio & abrogatio sequuta sit, titulo sequenti *cap. 1. paucis* ostendetur.

Tandem hæc accessit, ut notat Morinus *Lib. 10. cap. 25. num. 1.* redemptionum antiquarum facultas, quam tum unusquisque Sacerdos arbitrio suo commutare continuavit; unde factum est more hominum solito, ut ex facilibus facillimæ redderentur.

" Deinde Confessorum ordinariorum universalis sententia eodem sæculo prævalens, Pœnitentiæ quasi, cumque in foro conscientiæ Sacerdotum arbitrio esse injungendas, ultimam operi (abrogationi Canonum Pœnitentiarum) coronidem imposuit. " Hæc Morinus: qui ibidem ex auctoribus seculi 13. hanc suam assertionem astruit, ostendens, quod quidem Pœnitentiâ Canonica eo tempore adhuc Pœnitentibus à Confessariis proponeretur; sed jam inciperent magna auctoritate in ea remittenda & relaxanda uti; atque ulterius progrediendo, tandem invaluerit ea opinio, quod Pœnitentiæ imponendæ arbitrio Sacerdotum essent relicte; nec consequenter ipsos amplius Canonibus esse obstrictos.

CAPUT IV.

De moderna circa pœnitentias imponendas disciplina, & quis hodie Canonum pœnitentiarum usus?

1. Modernam disciplinam circa imponendas pœnitentias expressit Synodus Tridentina: & pœnitentiarum fructum.
2. Quales debeant esse pœnitentia.
3. Quid in pœnitentiis imponendis attendendum.
4. Pœnitentiarum imponendarum determinatio arbitrio Sacerdotum committitur; & eatenus moderna disciplina à pristina differt.
5. Hodierna disciplina consentit veteri si scopus Canonum pœnitentiarum attendatur.
6. Quomodo Synodus Tridentina genuinam Patrum disciplinam Sacerdotibus proposuerit.
7. Etiam hodie Confessarii sunt spirituales animarum medici.
8. Ut tamquam medici facilius in morbum inquirere queant, Fideles tempestive ad confessionem urgendi.
9. Confessarius more periti medici conditionem vulnerum, & agrorum diligenter attendere debet in pœnitentiis imponendis.
10. Confessarii in pœnitentiis injungendis omnem speciem quasi fugere debent.
11. Si Missa celebranda, aut aliena restituenda, hæc per Confessarium fieri non convenit.
12. Confessarius etiam iudicis partes sustinet.
13. Debet ideo gravitatem criminum sedulo attendere.

14. Hoc

14. Hoc officium monet Confessarium ab omni temporali expectatione debere esse alienum.
15. Quomodo munera excacaverint olim falsos Prophetas.
16. Synodi Belgica monent Confessarios ut à temporali Spe caveant.
17. Merito Confessarii expendant, quæ cura in decernendis pœnitentiis adhibita olim fuerit.
18. Multis titulis hodie Confessarius conveniens Canonum Pœnitentiarum notitia: primò ut judicent de gravitate.
19. Secundo ut facilius pœnitentes ad suscipiendas impositas pœnitentias inducant.
20. Tertio ut stantiam, quando protrahenda, quando acceleranda absolvent.
21. Quarto ut sint Sacerdotibus regula directiva pro pœnitentiis præscribendis.
22. Quid de horum notitia senserit Corporis Canonici Collector.
23. Quam utilem horum scientiam judicaverit Sanctus Carolus?
24. Canonum Pœnitentiales editi à S. Carolo.



cap. 3. De Sacramento Pœnitentiæ.

Moderna Ecclesiæ disciplinam, nec non sincerum pœnitentiarum seu satisfactionum multiplicem fructum præmittit, quæ inter alios, hunc, quod " magnopere à peccato revocant, & quasi freno quodam coercet hæc satisfactoria pœnitentiæ, cautio resque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiant; medeantur quoque peccatorum reliquiis, & vitiorum habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollant.

II. Ut verò pœnitentiæ à Sacerdotibus impositæ illam salutarem in Pœnitentibus effectum operentur docet, quales debeant à Sacerdotibus pœnitentiæ imponi. " Debet ergo Sacerdos Domini (inquit) quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum & Pœnitentiarum qualitate salutaris & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

III. Deinde instruit Sacerdotes, quid præcipue in determinandis pœnitentiis attendere debeant. " Habeant autem præ oculis (ait) ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

IV. Hoc Decretum ostendit, eatenus saltem hodiernam Ecclesiæ disciplinam à pristina discrepare; quod hæc obstringeret Sacerdotes, pœnitentias seu satisfactiones imponere prout hæc in Canonibus & libris pœnitentibus erant expressæ, quemadmodum capite præcedenti ostensum fuit: idque ante absolutionem tam eas quæ necessariæ erant ad acquirendam cordis conversionem, eamque Sacerdoti probandam, quam quæ requirebantur ad satisfactionem pro culpa & pœna, eradicandos vitiosos habitus &c.

At moderna disciplina Sacerdotes ab exacta & exteriori Canonum Pœnitentiarum observantia eatenus absolvit, ut non constingatur, pœnitentias Canonibus præscriptas imponere, sed earum determinatio Sacerdotum prudentiæ & arbitrio committatur, tam quoad eas quæ necessariæ sunt ante absolutionem pro acquirenda debita dispositione & eam Sacerdoti probandam, quam quoad eas, quæ necessariæ post absolutionem (de quibus specialiter Synodus Tridentina) ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali alioque effectus in Decreto Synodi Tridentinæ expressos.

V. Ostendit præterea Decretum illud, modernam disciplinam à pristina non discrepare, si non tam exteriorem Canonum Pœnitentiarum rigorem attendamus; sed interiorem eorum spiritum, seu scopum quem in his Canonibus condendis, atque eorum exactam observantiam urgendo Patres habuerunt.

Quid enim aliud in his omnibus Patres intenderunt, nisi ut Sacerdotibus per hos Canones ostenderent, quæ pœnitentiæ singulorum peccatorum gravitati convenirent, quæque essent his illi animæ vulneribus medendis, nec non in futurum præcavendis convenientiores. Et ne Sacerdotes in imponendis pœnitentiis aberrarent, eos ad Canonum illorum observantiam constringebant.

VI. Dum ergo Synodus Tridentina in allegato Decreto præcipit Sacerdotibus, pro qualitate criminum, & Pœnitentiarum facultate salutaris & convenientes satisfactiones injungere; atque præ oculis habere, ut satisfactio, quam imponunt. " Non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, ipsam genuinam Patrum disciplinam, quoad pœnitentias post absolutionem injungendas, quam in figendis & exequendis Canonibus Pœnitentibus intenderunt, expressit; atque eatenus hodierna per Synodum Trid. stabilita disciplina Patrum disciplinæ consona est: idemque modernus & pristinus Ecclesiæ Spiritus.

Et sanè non minus hodie, quam olim Confessarii sunt spirituales animarum medici.

VII. Unde seculo 13. postquam jam Canonum pœnitentiarum exterior rigor & observantia magna saltem ex parte desierat, dixit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Capitulo OMNIS UTRIVSQUE SEXUS & *De Pœnit. & Remiss.* " Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatorum circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, & diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.

VIII. Porro ut Confessarius tanquam spiritualis medicus facilius & animæ vulnera, & qualitatem ac conditionem ægri perspecta habere, atque cum otio examinare & curare queat, monet Synodi nostræ, ut qui rarius confiteri solent, & tamen in Paschate ad Sacram Communionem accedere intendunt, sub initium quadragesimæ, aut saltem ante Dominicam *Letare* ad Confessionem accedant.

" Antiquam consuetudinem constendi in initio quadragesimæ continuari, vel in usu revocari peroptamus, ait Synodus Gaudensis anno 1610. *Tit. 5. capite 5.* innovata per Decreta Synodalia sub Antonio Triesi. *Titul. 5. capite 9.*

Synodus Sylvæducentis sub Metio *Tit. De pœnit. Sacramento capite 3.* præcipit Parochis, ut " adhortentur & inducant eosdem (Parochianos suos) ut tempore quadragesimali statim in principio, vel saltem ante Dominicam *Letare* proprio Sacerdoti, aut ejus vicem gerenti confiteantur, & nihilominus circa Festum Paschæ illud idem reiterent, antequam ad Sacram Eucharistiæ sumptionem accedant.

Idipsum in sua Synodo rursus renovavit Gisbertus Masius *Tit. 6. cap. 5.* atque alia Synodi Belgicæ passim inculcant.

IX. Diligenter ergo adinstar periti medici Confessarius, & animæ vulnera & ægri conditionem ac spirituale temperamentum examinare & attendere debet; ut iis ritibus expensis non unam eandemque omnibus, iisque plane disparatis morbis medicinam applicet; sed singulis eam, quæ iis medendis conveniat.

Hinc monet Synodus Audomarensis *Tit. 7. c. 13.* ut " Confessarius